



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Regular. & trans. ad relig. Consilium CCCCLXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

catis XII. q. I. ut nec servus, l. servus C. De iudic. & procuratorem constituere possit, Clem. Religiosus De procurat. usque adeo, ut etiam si ei eriperetur sua cappa (ut inquit Felinus, in c. Cum dilecta nu. 15. De rescript.) iudicio adversus eripientem agere non possit: quasi nihil habere, nihil possidere censeatur, d. c. Non dicatis & ibi Gloss. Nam quamvis regulariter verum sit, Monachum nec activè nec passivè habere personam standi in iudicio, d. c. Religiosus, Auth. Causa & ibi Doct. C. De episc. & cler. nec per se, nec per procuratorem, quem constituere prohibetur, d. Clem. Religiosus: tamen si accedat licentia sui Superioris, non tantum nomine proprio, sed etiam alieno, ut procurator alterius, utique in iudicio stare potest, Card. & alij in d. clement. Religiosus: eaque in parte Monachus filiofamilias comparatur magis, quam servo, l. Longius §. fin. & ibi Gloss. ult. de iudicij. Cum igitur ex dicto instrumento procuratorij constet de consensu Superioris in hanc litem, non potest dici iudicium cum Monacho actum esse nullum: potissimum quia non solus dictus Superior, sed etiam totus dicti Actoris Conventus in huius litis prosecutionem consenserint, & pro maiore atque evidentiore consensu & approbationis argumento, se cautionarios seu fideiussores iudicij, pro expensis nomine dicti Actoris constituerint.

Obijcit tandem Reus fraudem, simulationem, & collusionem; quasi iudicij mutandi causa, & in fraudem juris, facta sit hæc cessio; sed quoniam hæc in facto consistunt, & non probantur, nihil momenti habet hæc cessionis fraudulentæ obiectio. Nihil enim hic occurrit, unde simulatio argui possit: quia cessio tota ex causa donationis est, & ob causam privilegiatam studiorum; nec probatur aliud palam, aliud clam esse actum, l. Per diversas, l. Ab Anastasio C. Mandati. * De quo minus dubitandum est; ob id, quod donatio, seu cessio actionis facta in favorem studiorum, & promotionis in illis, in hoc sit privilegiata, quod illam non impediat consideratio mutandi iudicij aut patrocini potentioris; ob quam alioquin cessio regulariter prohibetur, l. 1. & 2. C. Ne liceat potent. d. l. Per diversas, & l. ult. C. Mandati, tit. D. & C. De alien. iud. mut. caus.

Nec huic cessionis obstat, quod tempore quo facta est, Actor actu non fuerit scholaris: nam ut favore studij aliquid fiat, non est necesse aliquem in studio esse; sed satis est eum per huiusmodi donationem ad id excitari: ita ut meritis possit huiusmodi donationem exequi, ad eum finem, ut ex actâ pecuniâ sit studendi potestas; cum sine pecuniâ difficile sit vel impossibile studiis incumbere. Verum quidem est, scholarem ex causâ huiusmodi cessionis, foro privilegiato scholarium uti non posse nisi sit actu scholaris, tunc cum debitorem ad privilegiatum huiusmodi forum trahere vult; sed ramen nihil vetat, cessionem fieri antequam scholaris efficiatur, Rebuff. ad consil. regias tomo. 3. de cess. act. artic. 2. Cum ergo Actor in hac causa non agat ex privilegio fori scholarium, sed ex privilegio fori sui Ordinis; dubitatio nulla est, quin causa studij, seu magis promotionis, ei donatum rectè exigere potuerit, etiam non probato studio; præsertim quia ad ulteriorem promotio-

nem Doctoratus aperte percipiatur id factum esse; Quamvis interim huiusmodi obiectio sit iudicij præparatoria, & illius competentiam respiciat: de cuius generis exceptionibus post litem contestatam disceptandum non est, l. Exceptionem C. De probat. d. c. Pastoralis De except. potissimum in hoc statu causæ, postquam Dominus Abbas decrevit se huius causæ iudicem competentem. In tanta igitur petiti debiti veritate, & factæ cessionis integritate, ac idonea qualitate Actoris ad agendum in hac causa; nullam existimamus esse dubitationem, quin Reus Actori, & in petito debito, & in expensis litis condemnari debeat.

De Regular. & transf. ad relig.

S V M M A R I V M.

Monachus an injuriam sibi illatam prosequi possit.

1. Monachus sine Superioris licentia iudicialiter non agat, nisi studiorum causâ absit.
2. Monacho si facta sit iniuria Superior eius agere debet, non Monachus.
3. Testis qui deposuit super articulo iniuriarum, iniuriarum non tenetur.
4. Testis singularis quando fidem faciat.
5. Iniuriarum agens, loci, & tempus exprimere debet.
6. Iniuriarum actio, ut nascatur, oportet iniuriarum animo aliquid factum esse.
7. Iniuriarum quando teneatur, qui de aliquo mentitur.
8. Libelli inepitudo iudicij progressum impedit ac nullitatem illius inducit.

CONSILIUM CCCCLXIV.

LIBELLVS iniuriarum pro parte Fratris Vincentij Hispani, contra Rodericum Rivas exhibitus, nullâ ratione est admittendus: sed est dictus Actor à limine iudicij repellendus; id quæ ex defectu potestatis agendi, & actionis seu formulæ inepta conceptione. * Est etenim dictus Actor Monachus; ut ipsemet unico verbo assertive proposuit, dum dixit se esse ad L. 2. centiam promotum, atque etiam Religiosum. Eoque non asserente, satis id testatur cuculla, & monachalis habitus; qui facit ut tamquam Monachus tractari & iudicari debeat, c. Vi clerici, cap. Ex parte de regul. & transf. Iam verò cum Monachus servo æquiparetur, Innoc. in c. cum olim De privi. Bart. in l. 1. De stipul. servot. personam standi in iudicio non habet, l. servus C. De iudic. saltem non proprio nomine, & sine veniâ, ac licentiâ sui Superioris, c. Ex parte De accusat. Felin. in c. Cum dilecta nu. 15. De rescript. Et quamvis Monachus studiorum causa absens agere possit sine speciali licentia Superioris sui contra quemcumque, Bart. & alij in l. Si longius §. si filius De iudic. Ioan. Andr. in c. 2. De clerici vel monach. & c. Rebuff. de privi. scholar. privi. 156. non potest tamen id, nisi etiam constet, quod de licentiâ sui Superioris, studiorum causa à Monasterio suo absit, & agat ex causa studium concernente; Felin. in d. c. Cum dilecta n. 18. Anfrer. decij. 29. & 88. Cum ergo de neutro constet, neque de licentiâ agendi, neque de licentiâ absentie studij causa; imò ne allegatum sit, nec possit alterutri præsumi; quia

facti est, l. in bello §. facti de capt. & postlim. rever. (neque enim novum est, vagabundos, & sine licentia à clauistro ac conventu suo absentes inveniri Monachos, Clem. 1. §. quia verò de statu monach. meritò ex personæ agentis qualitate, ingressus judicij 2 est inhibendus.

Actionis defectus duplex est; ex personâ & materiâ. Ex personâ quidem, quod ex injuria Monacho illatâ non Monacho, sed ejus superiori, seu Monasterio, nascatur actio, *relin. in d. c. Cum dilecti*, na. 19. Ut servo facta injuria, actionem domino, non servo parit, l. 1. §. *Labes de inur.* quia servis nihil acquiri potest, l. *Placet de acq. hered.* Atque ideo est, quod Abbas possit remittere injuriam suo Monacho factam, non ipse Monachus, 3 qui facti capax est, sed non juris, *Bald. in l. Præses quasi. vii. c. de transf.* Ex materia verò, quod medium concludendi proponat Actor in eo, quod Reus in tellem productus deposuerit quendam articulum adversus eum, in causa Frederici F. propositum, turpitudinem Actoris continentem, esse verum. Nam nemo injuriam facit nisi sciens & volens, cum proposito injuriam & contumeliam inferendi, l. *Illud §. 1. de inur.* Quod in casu subiecto dici non potest: tum quod non suâ voluntate, sed juris necessitate Reus citatus conatus sit ferre testimonium, *vir. decretal. de testib. cogend. per tot.* tum quod ex falso testimonio, accusatio falsi, l. *Lege Cornelia §. pena ad leg. Corn. de fals.* non injuriarum actio nascitur: & generaliter ex nullo facto, quamvis eo aliud lædatur aut damnum aliquod contra jus patiatur, injuriarum actio nascitur; nisi injuriæ causâ specialiter factum fuerit l. *penult. in fine de inur.* Voluntas enim & propositum maleficia distinguunt, l. *Qui inur. eod. tit. & uno fine* factum, ad alium referri non debet, etiam si materia ad aliud facile declinare posset, l. 3. §. *si quis odio de tabul. exhib.* Imò verò si extrinsecus ex hoc Rei facto adversus eum aliqua præsumptio criminis, seu delicti (quod tamen admittendum non est, l. *Merito Pro socio*) ex primo conspectu constitui posset, ea esset non injuriæ, sed falsi, adinvidi Actoris, & lædendi Rei causâ in eo judicio: sed neutrum dici potest, quia de eo non apparet, & præsumptionem omnem discutit iurisdictionis religio, ac vinculum, sub quo Reus testimonium dixit; cui ideo tam diu credi debet, quàm de falso & perjurio convictus non est.

4 Neque ad rem faceret, si fortè dictus Reus solus & unicuique in ea causa adversus Actorem hujus causæ deposuisset (quod tamen ignoramus) ideoque ei tamquam unico & singulari fides ad plenam probationem non posset adhiberi, l. *Iurisjurandi c. de testib.* quia plurimum interest, an testis fides subvertatur ex suo vitio, an ex externo aliquo defectu, qui in illius potestate non est. Nam etsi illo casu ad crimen referri possit, si gratiâ, sordibus, aut injuriâ testimonium dixerit, l. *Qui falsò & ibi Gloss. de testib.* hoc tamen non potest; quia delinquendi nullum est propositum. Quod ex eo etiam animadverti potest, quod unus testis probationem faciat, quæ partis producentis juramento à Iudice delato accedente perficiatur, l. *In bona fidei & ibi Gloss. mag. circa medi. c. de reb. cred.*

Conf. Wamel. Tom. Ii

Quarecùm nulla actio injuriarum ex facto per Actorem pro medio concludendi proposito, in eâ forma, quâ propositum est, nasci possit, consequens est, ut destitutus actione, à limine judicij repellatur, l. *Si pupilli §. videamus de negot. gestis.*

Quam deficientis materiæ causam multum 5 adjuvat formulæ ineptitudo; quæ ex duobus manifestatur. Primò, quod temporis nulla specificatio libello sit inserta; cum in actione injuriarum non tantum criminaliter proposita, l. *Libellorum de accusat.* (qualis est hæc, quâ Actor hic utitur) verum etiam civili oporteat inferi tempus, & locum commissæ seu illatæ injuriæ, *Bart. in l. Prætor edixit de inur. Salic. in l. Atrocem c. de eod. tit.* sic ut loci & temporis omisso obiecta à Reo in totum vitiet libellum, & judicij progressum impediatur, *Bald. in tit. Quib. mod. feud. ann. vers. quarto cum civiliter &c. & in l. Edita c. de edendo Guid. Papa singul. 2016. in libello.*

Altera dictæ ineptitudinis causa est, quod nunquam in libello dicatur, Reum injuriandi animo 6 adversus Actorem hoc testimonium dixisse; quæ adjectio animi injuriosi prorsus necessaria est; propter ambiguitatem facti, quod per se crimine vacare potest, l. *Illud §. 1. in fine de inur.* aut si delicti formam seu faciem habet, in hanc vel illam speciem cadere possit; interdum in simplex mendacium, quod coërtionem non mereatur; interdum in falsum, aut aliam speciem, l. *Quid sit falsum ad leg. Corn. de fals.* Ut etiam qui de alio 7 mentitur, eo nomine injuriarum teneri non debet, si injuriandi animus non arguitur. Ac proinde frivolum sit in proposito, dicere satis de injuriandi voluntate dictum esse in libello ex facti narratione, cum factum ambiguum sit, neque ex se (præsupposita scilicet facilitate, quæ tamen præsupponenda non est) magis propendeat ad injuriam, quàm ad falsum; possitque fieri, ut sic falsum deponatur gratiâ aut sordibus, perinde ut invidiâ, aut ad injuriam alterius. Ut merito receptum sit, vitiosum esse libellum 8 injuriarum, qui adiectionem hanc non habeat, *Cynus in l. Si non convicij c. de inur. Angel. in tract. de malefic. in verb. injuriosa verba;* & super eo formari non posse judicium, si à Reo obijciatur, *Angelus in l. Injuriarum de inur.*

Cum igitur ineptitudo libelli impediatur judicij progressum, & in vitiando iustitia causæ potior sit, c. *Examinata de iudic. l. fin. in verb. nihil agit de lib. & posth.* possitque inde contracta judicij nullitas etiam post victoriam in executione judicati, ad impediendam executionem sententiæ, obijci, *Bald. in l. Licet c. de procurat. c. Cum dilecti & ibi Canoniste de empt. & vend. officium & partes Magnifici Domini Rectoris erunt, ut Actorem simpliciter non tantum à limine judicij, propter dictam ineptitudinem rejiciat; verum etiam propter notorium defectum actionis, Reum ab impetitione Actoris absolvat, seu Actori nullâ actionem adversus eum ex causa dicti testimonij competere declaret, condemnato Actore in expensis. Quò etiam proclivior debet esse Dominus Rector, quod super eo facto, quod Reus deposuit, per Fredericum F. Actori in alia causa formaliter & directè sit dictatum judicium: in*

quo plenissime idem factum fore probabitur; sic ut nulla ratione possit testimonium Rei tamquam verum, & Reipublicæ expediens in detegendo delicto, ad injuriarum actionem referri, *l. Eum qui nocentem de iniur.*

De Regularibus.

SYMMARIUM.

Monachus obedientiaris degens extra Monasterium an suo Prelato, an ordinario subdit

1. §. 14. *Intellectus c. 1. De capell. Monach. lib. 6.*
2. *Intellectus Sess. 7. Conc. Trid. De reformat. c. 7.*
3. *Obedientia à Monacho separari non potest.*
4. 13. *Monachus quando censetur emancipatus.*
6. *Tacens non semper consentit.*
7. 9. *Monachus semper revocari potest ad suum Monasterium.*
8. *Perpetuum quid dicatur.*
10. *Monachus ab Episcopo provisorius & institutus in beneficio ad suum monasterium revocari potest.*
11. *Perpetuum interdum finem accipere.*
12. *Monachus à suo Prelato male tractatus apud quem conqueri possit.*
15. *Privilegium non usu non amittitur.*

CONSILIUM CCCCLXV.

Est positum supra conf. lxxv. ideoque hic omis-
sum, sed ejusdem Additio five alterum
Consilium ejusdem materie
loco illius inferitur.

VIS & perspectis his, quæ per Venerabilem Dominum Officiale Reverendissimi D. Episcopi Namurcensis congesta sunt, ad demonstrationem, quod idem Reverendissimus Dom. intercedendo impedire possit, quò minus Reverendissimus Dominus Abbas Religiosum suum per eum ad Ecclesiam Parochialem loci de Corfelles, suæ Abbatiæ unitam & incorporatam, præsentatum, & per Reverendissimum Episcopum Namurcensem in illa quoad curam animarum institutum, ad suum Monasterium ex legitima causa ipsi Domino Abbati secundum Ordinis Præmonstratensis regulas & statuta comprobata revocare possit: deprehendimus nihil ferè in ijs esse, quod non sit sufficienter discussum & resolutum per præcedentem nostram consultationem ab hinc paucis diebus præfato Reverendo Domino Abbati redditam, per impugnationem literarum arrestatorialium, monitorialium, & inhibitorialium auctoritate prædicti Reverendissimi Episcopi, adversus dictum Reverendum Dominum Abbatem decretarum, & executioni mandatarum; si singula singulis, ut ex adverso obijciuntur, conferantur & accommodentur, Nihilominus ut adhuc expeditius percipi possit, quàm non rectè idem Reverendissimus Episcopus prætendat, præfato Domino Abbati non esse jus revocandi ad suum Monasterium dictum suum Religiosum, ad singula, quæ pro asserendâ hac Reverendissimi Episcopi intentione in medium adducuntur, eo ordine, quò proponuntur, paucis velut per indicem tantum respondebimus; fixius adherendo & inhærendo his, quæ in prædicta nostra consultatione latius operosiusque in me-

dium adduximus,

Et in primis quidem, quod pro principali fundamento intentionis Reverendissimi Domini Episcopi adducitur ex Bonifaciana constitutione, *in c. 1. de capell. monach. lib. 6.* jam antea sat multis rationibus & auctoritatibus comprobavimus id non obtinere, nisi in presbyteris secularibus, *Joan. de Imola in Clem. 1. De supplen. neglig. prelat. vel saltem non in Monacho, qui de proprio Monasterio ex præsentatione sui Abbatis per Episcopum instituitur in Ecclesia, quæ est de mensa Abbatis seu Monasterij: quia per hujusmodi præsentationem & institutionem, talis Religiosus non definit sui Abbatis esse obedientiaris; & sic non tam transfertur, quàm velut instrumentum sui Monasterij, in incorporata & unita Ecclesia, seu per eam retinetur, *vanor. in c. 2. & in c. Quod dicitur timorem nu. 9. de statu monach. Quod latius demonstratum in priore nostro responso breviter studio non repetimus.**

Concilij Tridentini auctoritas, quæ secundo loco profertur, *ex cap. 7. de reformat. sess. 7.* non tam astruit, quàm destruit, quod pro parte Reverendissimi Episcopi in hac re asseritur. Etenim per illud caput Ordinario permittatur hoc efficere, ut per idoneos etiam perpetuos Vicarios provideatur curatis beneficijs ecclesiasticis: hoc tamen quoque illi non adjungitur, ut non liceat Abbati & Prelatis regularibus, qui suos proprios Religiosos ad proprias suas Ecclesias præsentant, & per Episcopum institui procurant, eosdem ad suum Monasterium, cum res postulat, & Abbati rationabiliter justum videtur, quando eumque revocare, etiam sine Episcopi consensu. Nam & juris communis dispositio postulat, ut Vicarij perpetui incorporatis Ecclesijs præficiantur ab his, quorum incorporatio est, *d. c. 1. de capell. monach. lib. 6.* sed per hoc non præripit proprio Abbati revocationis potestatem; quæ obedientiæ Monachi, quamdiu manet intra septa vel Monasterij sui, vel Ecclesiæ Monasterio suo incorporatarum, sic conjuncta est & coheret, ut ab illa separari non possit, *Freder. de Seni conf. 134. Casus talis, Zabarella in Clem. 1. De supplen. neglig. prelat. per tot. textum.* Et cum dictum Conciliare caput non necessitati Ordinarij sed ejus potestati & arbitrio permittat, an velit Ecclesijs sic incorporatis providere per Vicarios perpetuos, permittit potestatem etiam id non faciendi, *l. Sæpe audiui De offi. præsidu.* consequens est in dubio id non censeri factum, quamdiu non constat per Episcopum id factum esse. Atque ita in proposito, cum nihil proponatur per præfatum Reverendissimum Episcopum factum esse peculiariter de aliqua perpetuitate Vicariatus in hac parochiali Ecclesia de Corfelles, censeri debet res relicta in priore & antiquo suo statu, *l. præcipimus c. De testam. & in terminis juris communis, c. Susceptum De re stip. lib. 6.* qui hoc postulant, quod Religiosi pro Vicariis proprijs sui Monasterij Ecclesijs præfecti, ut manent obedientiarj, ita quoque maneant ad regulatam saltem sui Abbatis seu Prelati voluntatem non tam amovibiles, quàm ad suum Monasterium velut ad propriam suam stationem revocabiles, *d. Clem. 1. De supplen. neglig. prelat.*

Ex statutis seu decretis Synodi provincialis Cameracen-